



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

Aeger Hispaniam repetit. Cap. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004



DE IGNATII LOIOLAE
VITA ET MORIBVS
LIBER SECVNDVS.

Aeger Hispaniam repetit. CAP. I.

INTEREA Ignatius graui morbo partim è maximis laboribus vigiliisque, partim etiam è Parisiensis caeli grauitate contracto; vexatusq. subinde stomachi iam pridem affecti doloribus acerbissimis; post multa remedia in casum adhibita, iubetur à medicis ad patrium solum & incunabula se referre; quod vnũ ad inueteratas corporis aegritudines certissimum perfugium vulgo arbitrantur. Nec recusauit ille, non tam valetudinis ratione, vel desiderio suorum adductus, quàm duabus aliis maxime causis: primum, vt quibus olim in regionibus, malo publico, iuuenilis licentiæ ac vanitatis ipsemet specimen exstitisset, ibidem ad spirituale ædificationem vicissim aliqua Christianæ humilitatis atque modestiæ documenta præberet; popularesque suos & verbo & exemplo ad studium penitentiæ salutaris accēderet. deinde, vt, quoniam sociis aliquæ

F iij erant

erant in Hispania rei familiaris tricæ; eas eodem itinere atq. opera ipse expediret; neq. per eam causam illi vel auocarentur à studiis, vel recenti etiam nunc vocatione, & expeditionis tam arduæ, tamq. laboriosæ cōsilio, patriæ dulcedinis, ac domesticæ tentationis, qua nulla fere periculosior est, aleã subire cogerētur. Simul etiam, è relictis olim in Hispania sociis, cogitabat, si quem in proposito constantem inueniret; secum in eandem expeditionem educere. Ceterum ne quid è suo discessu res Parisiensis caperet detrimēti, primum commilitones ad perseuerantiam ac fidem paucis adhortatus, Petrum Fabrum & annis & vocatione antiquissimum, illis præposuit; cui interim obtemperarent, quem parentis ducerēt loco. deinde tempus certū edixit iisdem approbantibus, quo tempore cuncti, rebus omnibus præter viaticum & necessaria scripta ex voto abdicatis, nauigaturi Hierosolymas Italiam peterēt, seq. iam antegressum Venetias conuenirent. Dicta profectio die est viij. Kalend. Februarij, anno M. D. XXXVII. ineunte, qua die Apostoli Pauli cōuersio beata recolitur. His ita constitutis, anno M. D. XXXV. per Autūni tēpus ipse non sine lacrymis, mutuiq. amoris magna significatione singulos in digressu complexus, cum vellet de more pedibus quamquam ægro corpore proficisci; coëmpto à sociis equo uti coactus est: breuiq. partim ex ipsa vectatione, locorūq. mutatione, partim etiã è studiorū intermissione morbo leuatus, Pyrenæo superato Guipuzcoam prouinciam attigit. Loiolæ rerū potiebatur eo tēpore, Garzia defuncto, Bertramus stirpis maximus. is de patruī aduētū festine præmonitus ab iis qui hominem ad Aquas Augustas, quam hodie Baionam appellant, in trāsitu agnouerant,

uerant, extēplo, quòd regni limes latrociniis infestus
 esset, armatos homines ad eum excipiendum tuen-
 dumq. dimiserat: atq. hos primum Ignatius in Gui-
 puzcoę finibus, deinde etiam, quę iam tum erat fama
 de sanctitate viri, clericos omnes agmine composito
 ad oppidū Aspeithiam honoris causa obuios habuit.
 cumq. ab iis, & ab ingenti præterea gratulantiū tur-
 ba deduceretur ad ædes paternas; ille, vt ostenderet
 quantopere ab eiusmodi fastu pompaq. abhorreret;
 vt primum potuit, ex eo comitatu sese proripiens, ad
 publicam hospitalet domū diuertit, victumq. con-
 tinuo emendicare ostiatim cœpit; fratris filio cognatisq.
 frementibus, eamq. rem (vt fere deprauata sunt
 Christianorū quoq. iudicia, & pauci ex animo crucē
 amplexātur) summi dedecoris atque ignominie loco
 sibi ducentibus. Deinde quamquā inuitis iisdem, in-
 stitit plebē Christianæ doctrinæ rudimētis imbuere,
 priuatisq. colloquiis eos, qui ad se ventitabāt, è pec-
 catorum veterno excitare; festis vero diebus etiam
 conciones habere tanta hominum frequētia, vt cum
 eos templa non caperent, in agrū prodire necessario
 cogeretur, vulgoq. arbores audiendi causa conscen-
 derent. Et sane operæ fructus egregius Dei beneficio
 constitit. Complures ad virtutem ac Dei cultū à vitæ
 prauitate conuersi, multæ sublata discordiæ, & odia
 inueterata restincta, cōtra aleatores lata publice lex,
 pœnæq. propositæ; institutum præterea, vt preces
 pro salute quotidie funderentur eorū omnium, qui-
 bus letalis noxæ piaculo obstrictis, in singula mo-
 mēta exitialis exitus immineret: itemq. vt ex Ecclesię
 Romanę consuetudine, salutationis Angelicæ signū
 daretur mane, meridie, & vespere. iam vero grauiā
 quædā vitia, quæ non in populum modo, sed etiā in

sacerdotes irrepserant, magna ex parte correcta. de-
 niq. morbo incurabili affectis, & extrema pressis in-
 opia, ne vel oppido errarēt, vel strati passim in com-
 pitis cælum miserabili questu complerent, publico
 sumptu consultum. Atq. hasce leges moresq. custo-
 diendi, ne (quod fere fit) bene cœpta propediem ob-
 solescerent; curam & munus Loioleia familia, pla-
 cata postmodum Ignatio, sibi desumpsit. qui cum in
 eo xenodochio aliquandiu ita versatus esset, vt satis
 appareret ipsum exemplo Christi Domini laboribus
 & paupertate multo magis, quàm otio & rerum af-
 fluentia delectari; ad extremum quotidianis propin-
 quorum precibus exoratus, ne cognationi aut nihil
 omnino dedisse, aut etiam inimicitias palam denun-
 tiasse videretur, in paternam domum ex hospitali se
 transtulit; ibique aliquot moratus dies, restituta do-
 mestica disciplina, cunctis ad officium ac pietatem
 animatis; valentior multo, quàm Lutetia discesserat,
 ad sociorū expedienda negotia proficisci constituit.
 Atq. hic nouum ecce tibi certamen Ignatium inter
 & cognatos exoritur; cum ille pauperis habitu pror-
 sus, & pedes iter facere destinasset animo, illi contra,
 quoniam quidem eum apud se diutius retinere non
 possent, certe non nisi bene comitatum, & pecunia
 instructum abire permetterent. Verum certaminis
 denique is fuit exitus, vt Ignatius ne frustra diutius
 tenderet, ad viæ modicum in speciem deduci se pas-
 sus, breui domum & famulos & cetera cuncta remi-
 ferit, pedibusque porro perrexerit; Gallicano equo
 ministris valetudinarij iam ante relicto, quē illi dein-
 de in Ignatij memoriam veluti sacrum & immunem
 ab opere, vagari in pascuis ad extremum vsq. senium
 permisere. Ignatius igitur Nauarra primum, deinde
 Castilla

Castella peragrata, mandatisq. recentium sociorum exhaustis, de veterum statu ac voluntate cognoscere nequaquam omisit: verum illi partim expectationis ac more tædio victi, partim etiam aspero virtutis itinere fatigati, in alia fere omnia dudum abierāt. Ioannes tantum Gallus, ne de animi salute periclitaretur, monasticæ se addixerat vitæ. Callistus ab animorum cura, ad pecuniæ lucrum studio repente conuerso, in Indiam nauigauerat, vnde aliquanto post bene nummatus ingenti omnium admiratione qui eum antea norant, Salmanticam rediit. Cazeres cum Segouiam patriam periisset, mollioris vitæ commodis, & domesticorū consuetudine delinitus, otio ac voluptati sese dederat. Artiaga vero, curriculum honoris & ambitionis ingressus, & è Commendatario factus Episcopus, cum aliquandiu in eō dignitatis gradu vixisset, ad extremum ægrotus, epota per imprudentiam veneni laguncula (cum duæ starent, altera salubris aquæ, altera sublimati, quod appellatur, medicamento) miserabili genere leti defunctus est.

Venetias ingenti labore contendit. CAP. II.

IGnatus ergo cum in Italiam properaret, & hosce quos dixi socios tam longe lateq. dispersos in vnum redigendi, atq. ad pristina reuocandi cōsilia spes nulla se ostenderet; occulta Dei iudicia secum expendēs, fufis pro ipforum salute ad superos precibus, Valentiam venit, vbi videlicet nauem stare paratam audierat. Ibi dissuadentibus multis ne se tali tempore mari committeret, quòd præter ceteras difficultates, etiam nobilis archipirata Ænobarbus loca opportuna, & litorū flexus